

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica


Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Disputatur de Auctore libri Psalmorum. Variae opiniones proponuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

ctus coram populis. Quis non videt hæc vi detorquenda esse, ut istis accommodentur? Demus tamen nihil interesse: quis miretur eamdem sententiam ab uno & eodem Scriptore bis esse usurpatam? Deum quidem id homini dixisse ait, verum non in collo- quii cum Mose habitis, at potius cum mentes hominum intus voce sua interpellat; quam cum audierimus, corda nostra obduriari vetat. Fortasse & Jobo fuerat id à Deo significatum per somnia aut visa; cujusmodi multa & hic & alias sœpe hominum animis ante Legem latam objiciebantur.



DE LIBRO PSALMORUM.

- I. Disputatur de Auctore libri Psalmorum. Varie opiniones proponuntur.
- II. Plures variis temporibus fuisse videntur Libri hujus scriptores. III. Esdras numerum Psalmorum determinavit, eorumque volumen in Canonem dedicavit.
- IV. Probatur argumentis. V. Quæritur cur ordo Psalmorum à temporum ordine discrepet. VI. Probatur Libri Psalmorum antiquitas. VII. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.
- VIII. Secundum argumentum. IX. Tertium argumentum X. Disputatur de Psalterio Salomonis à Johanne Ludovico de La Cerdâ edito.

Disputatur
de Auctore
libri Psalmorū.
Varie
opiniones pro-
ponuntur.

Hilar. Prol. in
Psalmi.
Philastr. Harr.
126.
August. De ci-
vitate Dei, libr.
17, cap. 14.

Plures variis
temporibus
fuisse viden-
tur Libri hu-
jus Scripto-
res.

Joseph. Antiq.
libr. 3, cap. 1.
& libr. 5, cap. 1.

I. **S**CIAMUS errare eos, qui omnes Psalmos David arbitrantur, & non eorum quorum nominibus inscripti sunt. Verba sunt Hieronymi ad Cyprianum scriben- tis, & in ejus gratiam Psalmum octogesimum nonum explanantis; quem Psalmum cum sequentibus decem à Moze scriptum esse docet. Clariora etiam hæc ex ejusdem Epistola ad Sophronium: *Psalmos omnes eorum testimoniū Auctōrum, qui ponantur in titulis, David scilicet, Asaph, & Idithun, filiorum Core, Eman Ezrahita, Moysi, & Salomonis, & reliquorum quos Esdras primo volumine comprehendit.* Eamdem tuerit doctrinam Auctor Synopseos qua Athanasio tribuitur; eamdem & Hilarius. Par est sententia R. Davidis Kimchi, & magnæ Rabbinorum partis. Contrari vero Theodoretus, alii que complures, qua veteres, qua nuperi: iisque unicum Psalmorum omnium auctorem, Davidem agnoscunt. Philastrius etiam inter Haereticos locat, qui secus senfirer. At titubat Augustinus, nunc totum Psalterii opus uni Davidi adscribens, velut in libris De civitate Dei; nunc novem solum Davidis proprios esse statuens, reliquos quatuor Cantorum, quos ipse ad id selegerat, velut in dissertatione ad titulum pri- mi Psalmi. Varie utrimque afferuntur rationes, quarum præcipua pars in sequentibus excutetur.

II. Certum est jam inde à verutissimis temporibus, ipso etiam Noachico Di- luvio antiquioribus, homines Dei præconia, viætorias suas, & si quæ sibi prospera evenissent, hymnis, psalmis, choris ac tripudis, tympanis etiam, tubis, citharis, alioque musico choragio celebrare fuisse solitos. Certum quoque carminum illorum compositionem viros aliquot ingenio ac eruditione praestantes in se recepisse; id quod de Moze non semel, ac de iaphetis sorore Maria legimus. Certum etiam hoc homi- num genus divino sœpe afflatum nomine multa prædictisse. Talis Moses, talis & Da- vid, & Jeremias, & Ezechiel, & Aggeus, & Zacharias. Certum præterea carmina hujusmodi, eaque potissimum quæ Deo essent dicata, crebra recitatione ita fuisse per- vulgata, ut ea sibi plurimi descerberent; curaque præsertim Levitis fuisse, ati exemplaria eorum, quæ Dei celebrarent laudes, in Templo tabulariis servarentur inter sacra Volumina, quæ in Templo fuisse recondita & custodita non uno loco Josephus asser- verat. Hinc de prompta Cantica pleraque, quæ in Libris Iandis vel defcripta sunt vel memorata. Hinc certa quædam pro tempore selecta à Levitis, quæ Symphoniaci in Templo cantarent. Singulis porro Hymnis auctōrum nomina crediderim fuisse adscri- pta, eorumque nominum partem aliquam temporum lapsu & hominum oblitione, aut librariorum oscitania intercidisse. Atque hinc porro evenit, ut Psalmi aliquot sint ἀντίχεια & adhuc vor. Cum autem penum hunc Psalmorum locupletare satageret, quisquis poëtica erat arte instrutus, valde cum crevissit probabile est, quem deinde in immensum auxerunt David & Salomon, collato illuc magno carminum numero; ne videlicet tantis impensis fundata ab eis domus Dei, tot citata donariis, hac quoque parte liberalitatem eorum ac munificentiam desiderarer. Ipse potissimum David in veterum Hymnis recognoscendis ac digerendis, suis adjungendis, choris Sympho-